



DE LATINAE LINGUAE

IN ANATOMICIS STUDIIS

PRAESTANTIA ET NECESSITATE

PRAELECTIO

HABITA

IN THEATRO ANATOMICO GYMNASII PATAVINI

XII KAL. DECEMBRIS MDCCCXI

A FLORIANO CALDANI

ANATOM. PROFESS. SOCIET. ITAL. SCIENTIAR. XLVIR. ACADEM. JOSEPHIN. MEDICO-CHIRUR. VINDOBONENSIS SOCIO HONORAR. ATHENAEI PATAVIN. ACADEM. SCIENTIAR. TAURIN. SOCIETAT. SCIENTIAR. GOTTING. MEDIC. TUM ET GALVANIC. PARISIENS. PHYSICO-MEDIC. ERLANG. MEDIC. VENET. BONONIENS. PARMENS. LUCENS. SOCIO.



PATAVII

TYPIS NICOLAI ZANON BETTONI

MDCCCXII

VIRO CLARISSIMO ET NOBILISSIMO

JOHANNI ANTONIO SCOPOLI

EQUITI, COMITI

EX SUPREMO LEGUMLATORUM CONSILIO

LITTERARIAE AC TYPOGRAPHICAE REI PRESIDI

ET MODERATORI

FLORIANUS CALDANI

F.

Quam jamdiu exoptaveram, occasio se se mihi obviam praetulit, nec opinato, tum ad gratiam a Te, Vir Nobilissime, si modo possem, ineundam, tum ad signum aliquod obsequii atque existimationis erga Te meae publice exhibendum. Cum enim mihi a rusticatione ad urbem reduci Kal. novembr. regium illud Decretum allatum fuerit, quo latine mihi aliisque perpaucis loquendi munus impositum, de summa Optimi et Munificentissimi PRINCIPIS in latinas litteras benignitate maximopere sum gratulatus. Et quamvis impa-

res obsoleto jam muneri vires mihi esse viderem, aliisque, ut nosti, occupationibus distinerer, animum tamen addidit ipsa laetitia, meique statim latina oratiuncula experiundi consilium cepi, ac primum in anatomicam hujus anni palaestram descenderem. Praefatus itaque sum de latinae linguae in anatomicis studiis praestantia ac necessitate, non tam ut perhonorifico Decreto morem quodammodo gererem, quam ut adolescentes incenderem amore et studio latinitatis. Res ex voto, quinimmo supra votum successit. Nam habita in frequentissimo Theatro praelectione maximi plausus ad Dilectissimi PRINCIPIS nomen excitati iteratique, latinus sermo mirifice exceptus, ac Decessorum meorum recordatio effusis animis concelebrata. Quid multa? Amici me pluries mei ad hanc oratiunculam in publicum obtrudendam non tam commonuerunt, quam excitarunt. Primum siquidem me Decreto solemniter satisfecisse dicebant, ac majorem etiam Gymnasio nostro gloriam futuram, si scriptum typis mandarem: argumentum, addebant, apprime temporibus inservire: alii tandem, ut caetera omittam, laborem hunc qualemcumque a litteratis viris, et in primis a Te probatum

iri spondebant. Quibus neque injuria negare, neque Te inscio facilius assentiri poteram. Etenim cum res nostras ac universam litteratorum hominum rempublicam ea humanitate et sapientia, quae Potentissimi IMPERATORIS de Te judicium decet, modereris, iniquum fuisset, ni turpe, praelectionem non de more, sed solemni in PRINCIPIS jussa veneratione exaratam sine Tuo auspicio ac nomine divulgare. Verum ne hac quidem de causa munusculum istiusmodi Tibi essem ausus mittere, nisi praeter dignitatem, qua exsplendescis, medicinae etiam, eloquentiae et veterum Scriptorum peritia tam multos praecelleres, omnes fere comitate superares. Quare magno mihi praemio futurum existimo, si opellam hanc, quam Tibi offero atque commendo, pro Tuo in latinas litteras amore benevole excipias; maximo autem, si cures, no a Clementissimo PRINCIPE voluntatis meae, studii ac diligentiae testimonium hoc perexiguum penitus improbetur. Vale, Vir Praestantissime ac Nobilissime, et studiis nostris, litteratorumque commodis ut enixe faveas obsecro obtestorque.

Dabam Patavii idib. Decemb. MDCCCXI.

PRAELECTIO

Me in anatomica disciplina tradenda summorum hominum successorem honorifice renuntiatum, primaque oratione in lucem publicam prodeuntem divinasse procul dubio, et quid eventurum esset quodammodo praedixisse illi omnes arbitrabuntur, qui futurarum rerum praesensionem quamdam et scientiam hominibus impertitam esse opinantur. Cum enim in solemni illa disputatione, qua gravissimum munus trepidanter suscepi, latinis litteris usus fuerim, eo scilicet genere dicendi, quod ab eorum temporum consuetudine, nec non a communi opinione abhorrebat, praedictioni cuidam nonnulli id facillime tribuent, veluti si auspicato de humano corpore in posterum latinorum idiomate disserendum esse vaticinarer. Etsi vero

perillustris hujus Academiae vetus institutum, et clarissimorum Anatomicorum mos mihi tantum tunc fuerit in animo, qui ob utilissimae artis praestantiam et dignitatem humani corporis partes latina oratione describere non dubitarunt; res tamen ita successit, ut et haruspices convocasse, et avium quasi volatum coelique portenta videar fuisse interpretatus. *Venimus* tandem *ad summum fortunae,* ut cum Horatio dicam; nam Optimi et Sapientissimi Principis Decreto nuperrime nunciatum est, anatomicam humani corporis historiam doctorum hominum sermone explanandam esse atque edocendam; eo nempe consilio, ut si rudi illa antea vulgarique habitu tecta fuerit, nunc pretiosa veste, gemmis et margaritis incederet exornata. Quod si nobilissimae scientiae promeritam dignitatem reddere, linguae autem paene defunctae vitam conservare, atque insperanti quidem incolumem famam vindicare summa laus est, id erat a nobis tanti IMPERATORIS auspiciis, tanti Prin-

cipis beneficio expectandum. Nam cum nemo sit omnium tam ignarus rerum, qui nesciat, quae ad humaniora studia revocanda Augusti Principis voluntas fuerit, quae ad adolescentium institutionem promovendam augendamque animi magnitudo, quae ad sanctissimam hanc Musarum sedem amplificandam atque locupletandam liberalitas, nonne illud fixum tenendum animo est, quod latinis litteris priscus honor ac domicilium certum Regiis consiliis et jussu stabilitum ejusdem Principis sapientiam et in antiquissima scientiarum monumenta obsequium quasi dicam perhonorifice ostentent? Et revera quamvis ea omnia quae ad doctorum hominum decus Princeps Clementissimus hucusque comparavit laudabilia sint, nulla tamen in his est gloria praestantior quam ea, qua nos in Romanorum veterum numerum adsciverit, Tullium vero, Virgilium, Flaccum, Celsum, caeterosque cum ingenio tum latinis potissimum litteris excellentes viros e tumulis veluti excitatos Italici

Regni civitate donarit. O admirabilem Munificentissimi Eugenii sapientiam, omni praedicatione monumentisque decorandam! Eam scilicet praedicabunt optimi qui adsunt adolescentes, qui humanioribus studiis instituti scientiam quamlibet a fontibus haurire se posse vident potius quam rivulos consectari, et vocabula graeco genere nata commodius latine interpretari laetantur, quam vernaculo idiomate contorquere. Praedicabunt posteri, ad quos pulcherrima Veterum opera latinis litteris consignata vel numquam vel frustra essent perventura, nisi forte invidorum livore eorum etiam studia turpis delevisset oblivio. Manes ipsi praedicabunt tot clarissimorum Virorum, quos quo magis latinus sermo delectavit, eo indignius ab hominum societate relegandos censuit nostrorum temporum inertissima segnities, fere ac si nova cognitarum rerum inventa nomina et saepe saepius minus auribus consona aut latine verti non possent, aut doctrinis essent anteponenda quibus universa

philosophia ac medicina continetur. Cujus sane philosophiae pars Anatomia est, scientia videlicet de medica et chirurgica facultate, immo verius de universo hominum genere optime merita; siquidem plerasque medicorum opiniones fictas et vanas diuturnitate extabuisse vidimus, idque tantummodo de morborum indole et causis pro certo constat, quod animalium et humanorum cadaverum dissectio nobis patefecit, caeteris annuntiavit. Quam porro scientiam cum latine hoc anno vobis tradere debeam, Adolescentes optimi, id primum mihi demonstrandum hac praelectione suscepi, Anatomicae scilicet rei addiscendae latinam linguam non tam prodesse, quam esse summopere necessariam. Sed antequam de hac necessitate dicam, enixe oro vos obtestorque ut me pro Anatome dicentem non litterarum cultorem, sed virum pro latinis litteris philosophorum more disputantem consideretis; et proinde si minus limata atque polita utar oratione aequo accipiatis animo, et in-

genii id potius ac temporis inopiae, quam voluntati tribuatis.

Artibus omnibus ac singulis, quamquam innumerabiles sint, apta vocabula propriumque sermonem primitus respondisse ratio ipsa declarat. Quemadmodum enim poetis arcanum aliquid ac sublime canentibus magniloquèntia, oratoribus dicendi ratio expolita, copiosa et sensibus hominum accomodata, artium vero et scientiarum cultoribus nitor quidam elocutionis naturalisque simplicitas apte convenienterque proponitur; sic variae disciplinae ac diversa argumenta viris doctissimis pertractanda variam ac diversam linguam, quae in usu atque in honore sit, videntur suo quodam jure expostulare; cum id praecipue inter quaslibet linguas indolis discrimen intersit, ut vi, copia, numero, pulchritudine, granditate una alteri praestet, maximeque antecellat. Et re quidem vera si ridiculum esset comicas levitates tragaedorum voce referre, et simplex mathematicorum problema

omni oratoris apparatu illustrare; ita risum profecto moveret, qui communi vellet elocutione et pedestri vulgi dialecto Ducum Regumque res gestas, vel NAPOLEONIS portenta celebrare, quae tum exquisitam dicendi sublimitatem, tum linguarum omnium nobilissimam, Divoque Augusto parem suapte natura desiderant. Quare cum sit certus quidam loquendi modus certaque lingua cuilibet disciplinae propria, et rebus ac personis conveniens, reliquum est, ut Anatomes origine, objecto et fine raptim considerato, eam esse ipsius artis naturam demonstremus, quae non nisi augusta Latii lingua, utpote quae sacris omni aetate praefuit, doceri possit atque exornari.

Nobis autem Anatomes originem inter priscorum temporum monumenta persequentibus brutorum sacrificia sese primum offerunt, quae de viscerum incolumitate aut vitio haruspices commonebant, qua in re tantam apud majores religionis vim constat fuisse, ut haruspicum ar-

tem ex mysteriorum sanctitate divinam appellare non dubitaverint. Aegyptii vero, quibus ars ipsa tribuitur, non tam de extispiciis, quam de hominum valetudine conservanda solliciti, Regio jussu, si fides historicis, corpora eorum qui tabe occubuerant aperiebant, ut latentem morbi causam detegerent. Et quamvis nonnulla, quae hujusmodi sectionibus inventa perhibentur, inter fabulas amandanda sint, nimium tamen vel sibi indulgent, vel decipiuntur, qui humana cadavera et brutorum corpora religionis instituto aut viventium bono dissecta ab illis atque accurate perlustrata fuisse negarunt. Sed negari nequit cadaverum condiendorum artem humanissimae scientiae prima velut incunabula apud ipsos praebere potuisse, quae cum solemni ritu et maxima erga mortuos reverentia exerceretur, illud nobis aperte declarat, sacrum nempe ac venerandum fuisse anatomicae disciplinae principium et fundamentum.

Quod si tam praeclaram Anatomes originem

Romani Pontificis Bonifacii lege quis obscuratam fuisse dubitet, qui humanorum cadaverum incisiones excommunicationis poena interdixit, is mecum consideret velim legem illam ad cadaverum cultum potissimum spectasse, quae anatomicis administrationibus pollui ac foedari credebantur. Atque hoc sane tantum abest, ut artis nobilitatem infirmet, ut nos praeterea de objecti praestantia, in quo ipsa versatur, admoneat. Quid enim in hac rerum universitate humano corpore pulchrius, quid excellentius reperiri umquam potest, cum deos ipsos humanam faciem praesetulisse veteres philosophi existimarint? Si vero immortalem animam, rationis, memoriae consiliique potentem in eo velimus considerare, nonne dignum homine est, non tam adspectum cum diis communem, quam ipsa superum privilegia qualitatesque sibi tributas admirari? Enimvero pulcherrimum erit nostrarum elucubrationum argumentum, si cum humani corporis fabricam vobis, Auditores dilec-

tissimi, addiscendam proponam, idem praestitero ac si vestrum omnium viscera vestris oculis contemplanda subjicerem, ut exploratum vobis satis et cognitum sit qua ratione mandentur cibi perficiaturque digestio, quo pacto lingua ad vocem, membra ad motum cieantur, quibus unusquisque instrumentis circumstantium rerum proprietates sentiat, audiat, intueatur.

Etsi nostrum haec, quae nostra sunt, magis interesse debeant quam externa et aliena; etsi nefas videatur hominem terrestrium rerum atque coelestium spectatorem suimet ipsius fabricam ignorare; tantum tamen praejudicata potest opinio, ut in puerorum institutione a plerisque negligatur Anatome, a multis etiam vituperetur: quasi vero nobili adolescenti optimisque artibus instituto satis esset vel stellas in coelo, et in plantis pistillos enumerare, vel principes Afrorum civitates aut Asiae flumina animo percipere ac memoria custodire, vel denique quae a Mythologis venditantur facili locutione

et urbanitate quadam et gratia pronuntiare. Proh dolor! Praestat ergo Neptuni aut Junonis connubia, turpitudines, deliramenta noscere, nostri vero corporis artificium constructionemque perscrutari piget aut pudet?

Neque ego sane is sum, qui pro Anatome dicens caeteras artes omnes despiciam: non enim ignoro admirabilem esse mathematicorum ratiocinationem, jucundissimam censeri botanicam et zootomiam, eloquentes demum homines pro sapientissimis habitos fuisse; neque inutile aut philosopho indignum puto, si de vermium nonnulli et anguillarum genesi disputent, si alii piscium sceleton saxis inclusum magno sibi labore studeant comparare, si in avium mores alii solerter inquirant. Id tantum arbitror majorem ex Anatome non tam animi oblectationem consequi quam utilitatem. Oblectatur quandoquidem animus, cum naturae leges mirabundus dignoscit, quibus movemur, regimur, gubernamur; utile autem est ac necessarium eam in toto vi-

tae curriculo temperantiam servare, quam nostris organis eorumque muneribus aptam esse ex Anatome animadvertimus. Oblectatur animus, cum comparatae Anatomes auxilio plurimorum viscerum functiones aperte distinguit, quae se inscio in proprio corpore peraguntur; utile est praevidere quibus rationibus ac quibus morborum causis membrorum officia perturbari possunt, easque antevertere. Oblectatur animus, cum in morbosorum cadaverum sectione ea deprehendit vitia, quae phaenomenis respondent accurate, dum aeger viveret, observatis; utile est Anatomia duce aut peculiares causarum effectus assignare, aut salubres curationum indicationes eruere, aut demum in obscurissimis morbis expendere ubi et quale vitium sit, et qua ratione vel destrui possit vel saltem labefactari. O dulce animi oblectamentum, Anatome! Quid medicina, quid chirurgia sine te esse potuisset? Tu mirabilem nostri corporis compagem aperuisti; per te somniantium philosophorum sententiae tam-

quam turpes ac futiles risui et oblivioni damnatae sunt, qui a fortuito atomorum concursu solertissimi Artificis opus ortum fuisse existimabant. Tu chirurgicarum operationum inventrix, tu physicorum in optices legibus evolvendis et in virium mensura determinanda magistra fuisti. Ad te naturae ministri confugiunt, ut eorum acuas ingenium: a te aegri opem petunt, et ab orci faucibus erepti tum acceptam tibi referunt sanitatem, tum beatam atque optabilem vitae securitatem.

Habetis igitur, Auditores, quaenam fuerit anatomicae artis origo, quodnam ipsi objectum propositum, quae tandem utilitates expectandae. Quod si non dubito quin origo sanctissima, objectum excellens, utilitates immensae infinitaeque plerisque videantur, quaenam scientia aut disciplina nobiliori elocutione merito est illustranda quam ea, quae universum hominem afficiens ac propius attingens inenarrabilem supremi Numinis operam detegit, explicat, inter-

pretatur? Et cum in sacris mysteriorum caeremoniis sacra quoque lingua nationes utantur venerationis causa, quinam fieri poterat, ut ars haec tanta tamque praeclara illius praecipue linguae ornamento careret, quae divinarum rerum custos, et augustae majestatis plenissima commonstratur et colitur? Nostra ne etiam aetate a Latina lingua tamquam inopi abhorrent nonnulli, quod Romanae Reipublicae temporibus evenisse legimus, cum Graecam ceu locupletiorem aliqui et studiosius excolerent, et patriae linguae praeferrent? Utinam idem in Latina lingua addiscenda ardor nobis esset ac quondam in Graeca Romanis fuit, quos constat eo praesertim consilio in id studium tantopere incubuisse, ut et eruditiores evaderent, et suam illam linguam alterius ope atque usu quotidie magis locupletarent. Verum id nunc accidit perincommodum, ne dicam indignum, ut Graecas litteras ignorent qui Latinas contemnunt, et nativi ipsius sermonis laude minus excellant. Piget sane prae-

cipuas recordari causas tantae in Latinas litteras despicationis. Queruntur enim nonnulli, et injuriosius queruntur, Latii sermonem obsoletum jam in longum nimis aevum mansisse, diuturnam nimium aetatem et plurimum temporis postulare; tantumque studium tamque multam operam in scientiis potius promovendis, quam in litteris addiscendis impendendam esse contendunt; propterea que si quid in lucem venerit latine compositum vel avari laudis contemnunt, vel illepide judicant lucubratum, vel fastidiose etiam indignantur.

Ita ne vero? Non me sane latet, ac manifestum jam omnibus est, quantopere recentes isti eruditulі veterum judicium reformident, quantam sibi novandi licentiam arroganter tribuant, cur nihil mirentur, quod centum jam perficit annos, praeceptorumque doctrinas veluti nimis antiquas nostrisque inopportunas temporibus oderint atque fastidiant. Suam enim in omni eruditionis genere vel inscitiam, vel negligen-

tiam, vel imbecillitatem obtegere cupiunt, atque etiam superbo earum rerum, quibus carent, contemptu, si fieri posset, cohonestare. Do quidem libenter, nimium eos sibi indulgere, qui veteres ita laudant, ut nihil ipsis anteferendum esse arbitrentur. Do etiam, observationum copia, experimentorum diversitate, clarissimorum virorum fide, studio, sedulitate scientias omnes et Anatomen praesertim nostris hisce temporibus quamplurimum profecisse. At si ad unam quamlibet scientiam adaugendam praeteritorum inventorum cognitio necessario requiritur, et si haec latine tradita sunt, vanam sibi fingere speciem Latinae linguae contemptores mihi videntur, qui omni scientiae quam profitentur historia posthabita arcana crepant, et pro novis atque inauditis ea venditant nobis, quae a veteribus aut pervestigata jam, defensa et collaudata fuerunt, aut etiam accusata quandoque et improbata. Cum ergo necesse sit ad damnosam neotericorum quorumdam libidinem minuendam

uniuscujusque artis historiae sedulo vacare, neque iis fidendum in primis qui latinorum sententias vitiare potius quam vertere conati sunt, Latii linguam Anatomiae cultoribus non tam pro rei diguitate, de qua paulo ante disserui, maximopere dignam atque utilem existimo, quam necessariam.

Et re quidem vera cum in humani corporis descriptione stricta oratio ac limata partem quamlibet repraesentare debeat, in usibus autem definiendis naturae conciliatricis opus detegere, quinam, ut Tullii verbis utar, dicendi est modus melior, quam ut latine, ut ornate, ut ad id quodcumque agetur apte congruenterque dicamus? Nulla enim lingua post Graecam est nec ad depingendas rerum formas significantior, nec ad ornandas uberior quam Latina, quae tantam in vocabulis, si probe eligantur connectanturque, vim et granditatem praesefert, ut paucis verbis plurima soleat perspicue eleganterque complecti. Silentio praetereo, quod grande atque Italis

dignum eloquentiae genus majorum nostrorum expostulat celebratio, quorum anatomica inventa Latino idiomate per totum orbem diffusa, ab exteris gentibus et linguis nostro sunt jure vindicanda. Nobilissimas humani corporis partes nonne decet ipsa loquendi praestantia atque majestas? In quibus sane nec gravitas deerit, neque ornatus, sive oculorum fabricationem perlustrans, naturae solertiam explices atque commendes, quae lubricos oculos fecit et mobiles, ut variorum affectuum indices mollem aut iratam animi constitutionem ictu declarent, membranis eos tenuissimis, perlucidis tamen et firmis, vestivit, ut lucis radii eas facillime penetrare possent, humores vero quamplurimos, plicas et septula eleganti ordine semperque sibi simili dispositione continerent; sive de aure loquuturus finitam hominum mentem deplores, quae per tortuosos labyrinthi flexus inerrans canaliculorum et scalarum certum usum se adhuc ignorare invita fatetur. Sin quaeret quispiam

quaenam in lingua ad sapores percipiendos facultas, et ad loquendum simul et degluticndum tanta mobilitas, ut quo quisque velit facile convertat, linguae vires, si minus tempus, ipsi deficerent, priusquam, ut decet, de his argumentis disputaret. Quid, si organis nonnullis latina verecundia descriptis nec mores laeduntur, nec vetustissimae naturae leges, quae pudoris velamine vel in ipso brutorum genere mysteria sua abscondere solet atque contegere? Necesse ne est, quae in nobis natura ipsa molitur, quaeque summo studio, perpetuis vigiliis, observatione, periculis innotuerunt, profano vulgo et mulierculis nota fieri nullo negotio, annon potius utile est et decorum, ea quae tot laboribus consequuti sumus, tamquam arcana, Latino tantum sermone proferre? Ex quo fortasse factum est, ut naturae ministri in tanta apud veteres habiti veneratione nunc vulgi saepius cachinnis obnoxii de nobilissimae artis injuria et calamitate conquerantur.

Sed quoniam Anatome non tam natura, quam officio quoque cum Medicina copulata est, et ejus cognatione quadam iisdem studiis continetur, iisdem etiam latinis litteris utramque hanc artem declarandam existimo. Equidem cum rem ab eloquentissimis omnium clarissimisque viris diu quaesitam et plurimum disputatam considero, qui de communis linguae utilitate ac necessitate certabant, ut nempe artes ac doctrinae hominum generi salutares ubicumque terrarum facile innotescerent; id unice praestari posse confido usu linguae Latinae, quae omnium temporum est, omnium nationum, omnium locorum. Quid vero Anatomia et Medicina societati universae utilius esse potest magisque necessarium? Parvi quidem nostrum interest cognoscere an Indorum maria pisces inhabitent colorum praestantia aut magnitudinis admirabilitate a nostris facillime distinguendi, an Aegyptiis hoc anno fertilitatis adjumenta Nilus importaverit, an tantum in mathematico problemate extricando,

quantum quis ingenio poterat, Gallus quidam consequutus sit, qua ratione finitimorum vim aliquis barbarorum tyrannus represserit. Haec aliaque ejusmodi cum ad totius humani generis incolumitatem minime conferant, in multiplici litterarum varietate fortasse melius versari possunt, et qualibet lingua evulgari. Id vero, quod ad salutem omnibus ac singulis natura datum est, aut quod accuratiorem nostri corporis cognitionem pertingit, una eaque communi lingua dicendum arbitror ac disceptandum. Etenim si aut alicujus morbi causa apud Belgas noviter perspecta fuerit, aut non ante cognitas remedii cujusdam vires repetitis periculis confirmarint Hispani, aut visceris officium diligentius a Germanis exploratum sit, quidni humano generi male consultum fuisse putandum est, si Belgium tantummodo certam morbi causam, medicinae speciem Hispania, exploratum membri officium Germania tantum cognovit?

Philosophum quemdam apud Ciceronem di-

xisse video, eos esse habitos Deos, a quibus magna utilitas ad vitae cultum esset inventa, ipsasque res utiles et salutares Deorum esse vocabulis nuncupatas. Nec sane injuria. Quemadmodum enim constat curandi tuendique corporis artem Deorum immortalium inventioni consecratam, ejusque inventores cultoresque tamquam homines e coelo lapsos et de societate praeclarissime meritos divinis honoribus affectos fuisse, sic par erat, ejusdem artis monumenta ei tantummodo linguae commendari, quae divinum quoddam spiraret, et nobilissimae ejusdem origini ac muneri responderet. Haec una prae caeteris Latina lingua et habetur et est. Cur ergo in singulis Medicinae partibus pertractandis atque edocendis ea non utimur lingua, quae Populi Romani omnium gentium domini ac victoris majestatem hactenus dignitatemque conservat; praesertim cum aliqua a nobis tum sanctissimi ministerii ratio haberi debeat, tum clarissimorum Virorum, a quibus non tam exempla sumenda sunt,

quam praestantissima documenta addiscenda, veneranda, memoriter complectenda?

Cum vero summos Viros commemoro, nil mihi addendum puto: praeter enim quam quod et multi sunt, et in arte tam excellentes, ut nequeam eorum laudes hodierna oratione comprehendere, parietes ipsos amplissimi hujus loci audire mihi videor, qui anatomicam artem ab Italis nostris et in hac potissimum sede latinis semper litteris illustratam et locupletatam fuisse ostendunt, iterant, immortalibus inventis monumentisque testantur. Vesalium siquidem hic accepimus contra Galenum disputare solitum, hic Falloppium coli intestini valvulam detexisse, hic Columbum, hic Fabricium, hic Casserium, Spigelium, Veslingium, Marchettum, quorum memoria me huc venientem quotidie commovit, nec eorum umquam, dum vivam, obliviscar, si cupiam. Quid vero de celeberrimo Morgagno dicam, quid de Patruo meo dilectissimo, quorum ista ipsa sessio fuit? Tam praeclara ab illis fa-

cundia sine fucato nitore tamque ornatus sermo disciplinae huic additus fuit, ut maximopere verear a sede ipsa, tanta ingeniorum magnitudine orbata, illustrium Decessorum meorum vocem desiderari. Culpam tamen vitare, non laudem moerere vellem, si qua possum solertia, loci etiam admonitu, clarissimos hosce Viros cogitare semper studeam atque imitari.

Vos autem, Adolescentes optimi, illud dies noctesque recordari non pigeat, liberales disciplinas, quibus innutriri exoptatis, latinis horum scriptis traditas nobis fuisse; ideoque ad aemulationem erigere animos atque inflammare vobis opus est, ut humani corporis fabricam penitius investigantes, et civium, quos vestrae fidei et sapientiae Patria committet, vitae et incolumitati consulentes latine etiam loquendi ratione laudemini. Quod si Asclepiades a Crasso non tam medicinae facultate celebrabatur quam eloquentia, molli voce, ut vestra fert aetas, grandia loquentes id agite, ut antiquam gravitatem suaviter et

aequabiliter prae vobis ferentes, non tam incommodis hominum avertendis, quam vindicando tuendoque praestantissimae hujus artis honori apti accomodatique videamini. Sed quid ego vos haec hortor, pro quibus Italia nostra amplissimam semper in latinis litteris famam consequuta jamdiu vota suscepit, et dum levamen a vobis cives suos accepturos fore confidit, nihil ad vos ipsos erudiendos utilius sperat evenire posse, quam si doctrinas quas adepti estis studio et observatione confirmetis, sermonis nobilitate exornetis? Si vero in hominum honore ex oblivionis tenebris magna nomina nunc Italia gratulatur et revocat, id EUGENII indulgentia factum est, qua et nos gloriari et PRINCEPS potest. Tantum enim latino sermone et veterum Scriptorum imitatione vulgo praestamus, ut si laboribus nostris nulla finem aetas est allatura, PRINCIPIS gloriam non sine communi omnium nostrum laude posteri commemoraverint. Quod si laudis hujus stimulis animus vester concitatur, si curarum at-

que cogitationum quibus quotidie angimur mercedem hanc unam optimus quisque desiderat, si spe delectamur, studiorum nostrorum monumenta tamquam virtutis praeconium post mortem posse celebrari, cunctis viribus nitamur oportet, ut Optimo Principi et Clementissimo non tam gratias habeamus, quam studio persolvamus et sedulitate. Restitutis enim latinis litteris praeterquamquod vetus Italiae decus, Anatomicae scientiae et sedis hujus celeberrimae pristinam amplificavit dignitatem, omnia insuper in nos ornamenta accumulavit, quibus tanto Principe digni et muneribus nostris laudabiliter fungi, et NAPOLEONIS et EUGENII accepta beneficia doctorum hominum sermone ad coelum extollere, nos vero studiaque haec nostra Eorum clementiae atque humanitati fide, labore et veneratione commendare possimus.







